refingantur, quibus supremam manum imposuisse speramus. Atenimverò praesentis aevi historiam liberali audaciâ aggresso curandum sedulò est, ut quoad fieri ejus possit, num ne cui derogetur, aut debitus alteri honos praeposterè adscribatur. Quot in hoc judicio reos aut actores tot habemus judices, singulos, ut putant in re suâ sibi maximè competentes. Sed pridem ista tibi praevisa ac praecogitata scio, neque praecipitis quidquam calamo temerè elapsum, quod non maturè libraveris. Comitis Hornani pro Berghio commentarium Apologeticum, qui item Loitsii est, valdè sibi remitti postulat. Id ut quam ocyssimè fiat rogo, qui me hujus debiti fidejussorem praestiti. Vale vir Doctissime et me ama. Hagae 22. Maj 1630.

Herberti scriptum, ut omnem scrupulum amoveas legendum Principi obtuli. Laudavit ille historiam, neque solo silentio ratam habuit.

(120).

Heinsio.

Habes hic Nobilissime Heinsi succum omnem et medullam literarum hostilium omnium, quas ad urbem illam subinde in manus nostras inciderunt, Nempe has de numero immenso servatu dignas putavit Princeps meus, et nonnullis earum adeò opportunè nonnunquam usus fuit, ut quem elucidandis summum certè laborem impendi noluerim centusse redemptum. Est in plurimis alii quod Historiae lucis afferat non parum. Est alibi quod fidem prorsus non meretur, sed ex collatione cum nostratium narratione eruendae saltem veritati conducat. Quae notis occultis latuere singulae sua interpretationi adjunxi. Eodem ordine ut remittantur, etiam ubi usus fueris, literae omnes valdè te rogo, ut poscenti fortè Domino meo praesto sint, et extra confusionem, quod sedulò curare soleo. Vale vir Maxime et me ama - - - 1630.

(121)

Henrico à friesen Leydam.

Committo fidei tuae et curae Vir Nobilissime utrumque Principis Diploma, quod in gratiam amicorum non tam petiisti cupidè, quam lubenti a me animo et voluntate proclivi expeditum fuit. de impensâ frustrà solliciti estis, non adducor pretio, ut peregrinis per me bene sit.

sit, neque fidejussorem admitto, ubi nec causa est, cur quemquam debendi reum agnoscam. Nihil tanti est despice quâ in re utiliori operâ meâ frui possis. non deero neque juri gentium, neque humanitatis legibus, quarum erga exteros, me judice, potissimam est habenda ratio. Vale. Hagæ v. Id: Julii 1630.

Summo amicorum d: Heinsio salutem dico excusationem, quod inconuento me Hagâ discesserit, non accipio. Habuit ubi bonas horas melius ~~collocaret~~ collocare neque excusari merear, si excusari sinam, quæ laudi ducenda sint.

(122)

Heinsio.

Antiquum obtineam, si nec nomine molestus sim tibi at ne id quidem hodie concessum est. non ~~enim~~ enim nunc scribo, nisi amicis, idque coactus. Ignosce facilitati meæ facile cum humanitate tuâ in gratiam redibit. Rogor et ut jam dixi cogor apud te intercedere, ut Baronis Fieldingij Britanni rationem habere digneris in Historiâ quam paras, Sylvæducensi, arreptâ nimirum occasiuncula, quâ testari commode possis, fuisse, cum Princeps meus gratias inter alias ipsi quoque redderet, rei, nescio ubi, non male gestæ. Judicabit, qui has traditurus est et patrocinium vilis ambitiunculæ celid suscepit, Jacobus Arkley, eques insignis pridem tibi et ni fallor notus meliore notâ. Non addo verbum ne me libertatem ferre dubites, quo testor fidem, et amicitiam nostram innitissimus ducor. Vale vir magne, et vel hac nausea te moneat accelerare editionem ~~tuam~~ esse, quam plurimorum opinione =dam premis, nunc nimium diu. Hagæ Raptissime, 27o. Aug: 1630.

(123)

Barlæo.

Humanissime Domine. Sive socordiæ me insimulas sive ingratitudinis, qui quod illicò factum decuit, totum annum ad te scribere distuli, est ipsi tibi quod imputes, qui muneribus primum tuis, deinde quamplurimis ejusmodi rerum pyxidibus (quarum ab eo tempore ad 900. mobiles congessi) adeo me immersisti, ut quod ab occupatione graviori, ullo pacto subscidi potuit, totum his novellis mihi studijs insumpserim, neque si vel amici

omnes.